

BONONIA.

SIVE


Præfatio ſolemnis habita IX. Kal. Nouembris.

Auctore


THOMA DEMPSTERO I. C. A MVRESK SCOTO
Humanioris literaturæ profeſs. primario

ILLVSTRISS. PRINCIPI. ALOYSIO. S. R. E. CARDINALI. CAPPONIO. LEGATO. A. LATERE. PER. AEMILIAM. &c.

MOECOENATI. LITERATORVM. AC. SVO. GRATI. ANIMI. SYMBOLVM. L. M. D. D.







BONONIÆ, M. DC. XIX.

Apud Sebaſtianum Bonomium. *Superiorum Permiſſu.*



XSVFFLARE pridem, & longe à me habere meditabar omnem humanioris huius, & mansuetioris literaturæ culturam Princeps Illustrissime, Antistites Reuerendissimi, Patres Religiosissimi, Professores Excellentissimi, Senatus Illustrissime, Auditores nobilissimi, & post laboriosam quinq; pæne lustris bonarum artium professionem, iugum pistrino soluere, faciem reuelare, ergastulo exire, priuataque me quieti resignare, seu legitimis stipendijs emeritum, destinabam, vt qui meliorem robustioris ætatis partem alijs siue fructu impendissem, & male hactenus collocassem, reliquias saltem fugitiui æui mihi ipsi dedicarem. quæ cogitatio cum altius insedisset, non omne modo studiorum in peregrinis locis desiderium, sed & voluntatem ipsam propensionemque animo exturbabat, vt Hetruriæ libellum remitterem, ac me patriæ ciuem redonaturus, viam lubēs alacerque ingrederer. Ac patriæ quidem charissimæ amor subinde dulcis se ingerebat, quam coactus, stimulante conscientia, ante quadriennium omnino reliquissem, & obuersabatur.

Vsuard. prid. Kal. Ianuar.

D.Aug.ep.50

Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος, οὐδὲ τοκήων

Nihil dulcius patria, nihil parentibus

Hom. lib. 9. odyss.

sed & illud Tragici admonebat.

Eurip. apud Stob.serm.39

Πολλοῦ γὰρ χρυσοῦ, καὶ πλούτου κρείσσων πάτρα.

Multo auro, & diuitijs potior est patria.

Quippe cum Emporium literarum Lutetiam, palladijs artibus excultissimam Tolosam, Belgium, ac

Theognis. Lucian. *Germanias eruditorum hominum nutrices, Italiam, vt rebus omnibus, ita ingenijs abundantem nobilissimis, & Romam Sanctitatis domicilium, Pisas claritudine pristina, & hodiernis moribus nobiles, facilè agnouissem, vincebat tamen Scotiæ, me saltem iudice, generosus Genius, indomita sane regio, Romanorũq; armorum etiam victrix, & bis mille annis, continuata successione, nec interrupta serie regnãdi glorioso iure illustris ægrum curis ad se animum alliciebat, & quasi postliminij iure repetebat. Ad hæc, vrebat anxium cura, in Italia apud liberalissimos licet, & vsque ad miraculum profusos principes, nec rem domesticam auxisse, nec in parando nomine mihi ipsi vllatenus satisfecisse, nec peregrinatione id consecutũ me, quod & Socrates, Pythagorasq; iactant, & modo industriã, modo planetas illos Proserpinæ canes acrius incusabam. Et iam ad Apennini apicem deuentum, quem Excubias Latij uetus poeta, & alter scriptor festiuius, cingulum, uti Alpes loricam vocauerat, tũ iucundissima rerum meditatione perfusus, mecum tacitus, hic Catilinariæ coniurationis ruinæ procella, memorabili fortitudinis exemplo detonuit, hic ante illum Annibal ueteranas copias metatus, ut Thrasymenum cruore Romano decoloraret, hic utroq; posterior Radagaisus formidanda locauit castra, & cum hac percẽsione, arida à tergo, ieiunaq; reliqueram tesqua, & pestilentis auræ littora, & afflatu noxio tractus, uaporesq; illos peregrinis timendos à longè despicibam, amænissimamq; & latè patentem camporũ pla-*

Suid. in voce Nicolaus. Clem. Alexã. lib. 1. strom. pag. 130 Malchus vit. Pythag. pag. 25. Rutil. Numatian. lib. 2. Itiner.

Freculp. Lexouiens.

Plin. li. 5. ep. 5 Symmach. libro 7. ep. 39

lanitiem cum uoluptate intuebar: subibatque illud Cosmi Medicai à congressu Caroli V. Mediolano redeuntis, Longobardos Principes carnem sumpsisse, ossa sibi reliquisse. Sed & hæc medullis plena, carne qualibet suauioribus. Hos animi motus suffusa undique nubes interturbat, non ea quidem qua paris Homericus, tectus, cum animose prius.

Boissatus.

Αργείων προκαλίζετο πάντας ἀρίστους.
Αντίβιον μαχέσασθαι ἐν αἰνῇ δηιοτῆτι.

Græcorum prouocabat optimos quosque,
Vt contra se certarent graui duello.

Homer. lib. 3. Iliad.

Ignobiliter postea fugit, nubes ego illas infamis pauoris tutrices semper sum auersatus, nec illa fuit quam Ixion pro Iunone amplexus. fucatam ego ambitionem semper fugi, nec incassum unquam cælestia profanus attigi, multo minus temeraui, sed quæ cœli portas asseruat, & à profanorum ingressu vindicat, quam Poetæ Iouis velamen interpretantur, quæque mihi solidam animi quietem deinceps auguraretur. In hac videndam se offerebat inopinato, mulier quædam cælesti vigore, ac viuidioribus oculis, quam vt obtutus mortales ferre aspectum possent, Erat ipsa statura supra humanam eminenti, capita multiplici turre redimita, peplo pendente, & sinuoso amicta, quod varietas rerum mira, & sidereæ notæ ornabant, & distinguebant, pectus ei apertum, & exerta vbera, brachia expansa, tamquam alumnos altura. Arma pede conculcabat, ac clypeos galeasque rubigine attritos erat videre: circumquaque vastus apparebat

Eustath.
Albricus.
Isac. Tzetz.
Tryphiodor.
Phlegon Trallian.
Plin. Nepos.
Sidon. Apollinar.
Io. Sauaro.

 squal-

Commen. in Claudian.

squallor, & monimenta multa, sed truncato opere, & detractis titulis apicibusq; deformata, tum rerum facie insolita stupentem me, & impensius mirantem, diua recreat. Et, ego sum, inquit, Galliae Cisalpinae,

Marcian. Heracleota.

quam vos corrupto vocabulo Longobardiam vocatis imperite, genius, & alumna, Ego sub Aboriginibus Gigantibus faede vexata, ad meliorem statum sub

Strabo lib. 5.

Hetruscis deueni Principibus, sed infida illa pax, nec diu duratura felicitas, nam Boiorum me Gallorũ ita

VVolfgang. Laz. lib. 7. Migrat. Gent.

truculentia subinde lacerauit, ut opulentiam uicinis inuidendam cum ultima angustia mutarim, & hos quidem frugum dulcedo, & maximè uini, heluones

Marcil. ad leg. 12. Tab.

pertraxit, tum sub mansuetudine Romana respirare primum, mox & lacertos ualidius mouere uisa, rursus à Gepidis, Hunnis, Alanis, Rugis, Vandalis, Gothis, ac Longobardis, totaque Barbari ei colluuie discerpta, uix umbrã pristinae dignitatis retinui, ego Exarchorum domicilium, reliqua Italia Apostolico patrimonio assignata, aegre me diuelli à tam sanctis dominis passa, omnia patienti animo tuli, dum Imperato-

Cap. Ego Ludouicus Gratian. Decreto.

res impij sancto Christi Vicario pernitiem nefarie molientes, me scelorum suorum ueluti arcem, & sacrarium esse uoluerunt. Hinc ista mihi calamitas, & erubescendus nepotibus status, quae iuxta me cernis squallore, ac illuuie sordentia, temporis sunt damna, cuius malignitate effectum, ut ex tot, tamque illustribus modo trophaeis, pauca haec rudereta, eaque uisu horrenda tantum supersint, haec monimentorum meorum latae dissipata, ac neglectim iacẽtia fragmen

ta

ta, bonorum meorum sunt male feriati cineres, nec aliter mortales uiuunt, cogitationes quantumuis altæ, una cum mente ipsa, & animo intereunt, & quasi Aquilæ in nubibus uolatus, anguis in petra lapsus, nauis in fluctibus fuga è memoria euanescunt, Statuæ quas conseruandæ clarorum uirorum memoriæ sapientes, ad Aeternitatis studium conciliandum, excogitarunt, una cum elogijs suis, ac titulis, æuo consumuntur, tabulas celeberrimorum licet artificum spectatissimam industriam, dies arrodit, nec quicquam præter quæsitam honestissimis artibus uirtutem, est diuturnum. Urbes quoque ipsæ situ opportunæ, conditorum nobilitate illustres, rerum gestarum gloria inclytæ, tandem solo æquantur, & aratro inducto complanantur. Et ego quidem cum Italia tota commune damnum perpessa, ex mille trecentis, quibus olim celebres eramus urbibus, paucæ satagentibus barbaris & æuo, atque illæ quidem ipsæ incolis raris habitatæ, & infrequentes hodie spectantur, ut iam cadauer non corpus uideamur. tum longo ducto suspirio, quasi malo fatigata, aliquandiu substitit, & statim subdit. Hanc tantam rerum mearum iacturam, hoc, graue licet, dispendium, una ea Urbs, quam mox uidebis, Bononia leuiorem reddit, ac tolerabilem facit, quæ una antiquorum actorum, ac pristinæ gloriæ splendorem conseruat, solaque ostentat, quæ una facit, ne desolata, ne glorioso uirtutis titulo spoliata uideri possim.

Aelian. lib. 12. var. Hist. c. 16

Sozim. lib. 3.

Cœlo salubri, fertili frugum solo,
Decorata doctis ciuibus.

Seruius Maur. li. 10. Aeneid. pag. 585. *Hæc à Celſino Rege condita, omnium Hetruſcarum urbium mater, & princeps, & totius Italiæ domina, & mille ante Romam conditam annis arx, & ca-*
Iun. Philargy. *put, iura inuictis populis; æquato ſemper moderamine*
Plin. li. 3. c. 15 *dedit; à Felſino deinde Rege reparata, nomen Celſinæ in Felſinam commutauit. Interiectis mox ſæculis à Bono Rege recreata, adornata, & nomen ab eo*
Mela. lib. 2. cap. 2. *deſumpſit, mediterranerum opulentiſſima; hanc tu quoſdam literarum gloria eminentes audies à Boijs*
Hetrur. Reg. lib. 4. cap. 115 *Boioniam appellare, ſed & à bonitate ſoli, omniumq; rerum humano cultui neceſſariarum abundantia ap*
Gunther. Ligurin. pag 321 *pellationem deduxiſſe exiſtimantes, quod etiamſi præ*
Sempron. *ſenti rerum conditioni ſit accommodum, nec à moribus hodiernis abhorreat, tamen ab antiquitate longè*
Patercul. li. 1. *diſſidet. Hæc anno V.C. 565. colonia Latino iure*
Liu. 4. Decad. lib. 7. *facta, Reip. armamentum, rebuſque gerendis, Aemiliæ caput, præclaro encomio emicuit: Tum nutante*
Plut. Cicer. pag. 881. *libertate, Trium ducum area, & ueluti proſcriptionis Triumuiralis deſolata, ſed fortis ſpectatrix publicam paſſa ſortem, mox igne hauſta, Neronis eloquen*
Sueton. Neró. cap 7. Procop. *tia reſtaurata, ab Odoacre Rege extorta, à Iuſtiniano Imperio reddita, Gothorum tyrannidem experta, exarchatus potior pars facta, in Longobardorum ma*
Egoliſmens. *nus deuenit, tum Gallorum denuo armis uindicata,*
Steron. Annal. lib. anno 1227 *extincta Longobardorum gente, Caroli Magni ſucceſſoribus in peculio poſita, pacis ſtudio CCC. annorum bona fide adoleuit: Ad ultimum in Eccleſiaſtica*
Eberhar. pag. 319. *manſuetudinis clientelam concedens, & totam belli mollem contra Fridericum ſacris deuotum, & fulmine*

mine

in Tarpaeio tactum, uiriliter sustinuit. Et cum menti similis, Tragycum crebro insonaret, & tyrannicum Tiberij uerbum usurparet, & Nerone truculentior secum fulminaret. Dio.lib. 57. Antholog.lib. 3.cap.6.Epig. 28. Suet.Ner. capit. 38.

Γαῖα μιχθήτω πυρί:

Terra misceatur igni: VVirgartens. in Gvvelph. pag. 196.

Et floretissemam ea tempestate Aemiliam tota aestate infestaret, nec caedibus, & rapinis finem faceret, cumque Thusci, Longobardi, Marchiani, iurati Ecclesiae hostes circumfunderentur, ista tamen animosius dubites an felicius, à partibus Pontificijs stetit, Mutinenses etiam rerum gestarum titulis clarissimos graui bello atterens, & Rege Corsicae Henrico, quem Barbari Hentium vocant, captiuo, & honorificè apud se sepulto, summam à bellica virtute, sed longè à clementia, & mansuetudine maiorem claritudinem adepta, Alborum, & Nigrorum factiones, Guelphorum, & Gibellinorum studia, quia non Bononiae tantum, sed & totius Italiae, imò & Orientis malum, non expectas, vt existimo, vt te doceam, nam ea tu ex alijs passim audies, & recens animis; ac pœne oculis famae memoria inhaeret. Haec armata virtus, sed tu ingenij laudes quaeris, & non nescis Theodosium seniorem omnia studiorum iura in eam transfudisse, non vano successu, vt quae professores exinde in oculis, in auribus, in pectore gestet, quod de Traiano vsurpatum, & cum Romae latine loqni desitum notent anno 575. Haec una in Italia puras illius sermonis elegantias conseruauit, ingeniorum Chron. Saltzburg. Tom.6. Antiq.Lect. Negat.Alciat. Ferreol.Locr. chron. pag. 45. Gul.Eisingri. lib.6.

Tro-

Vlpian. Sophista.

Luca Gauric. Calend. pag. 16.

B. Chassan. Catalog. glor. Mund. par. 10 pag. 645.

Trophæa erexit, quod de Athenis eloquentia floribus usurpasse nosti Demosthenem, ut iure stud. mater, & sit & habeatur, & non ita pridem . . . millia studiosorum iuri, ut uetera omittam, alebat: Hæc posteriora tempora, nã si à Sanctissimi Petronij Põtificis sæculo, qui ex præfectura Prætorij sedem eam rexit, & impetrato à Cæsare honore euexit, & illustrauit, rectè computes, septingẽtos annos reperies, quibus Humaniores literæ tantum id domicilij sibi uendicabant, admissa etiam philosophiæ professione; quare, & nidum Philosophorum *vocat VVerdinus Hidruntinus: tum iacentem Iurisprudentiã, ac nulli in Europa cognitam, Kilianus Scotus primus publicè cœpit interpretari, felicissima, & sui et patriæ, fama, quem sollicitè audiuerunt Pepo, Irnerius, Columbus, Fasolus, atque illis successerunt, Hugolinus, Bulgarus, Martinus, & alij, vt Guntherus dicat apposite:*

Reuelatio apud Arnold. Vnion. 27. Octobr.

Roger. de Houeden.

Bibliot. Iurid.

Lib. 9. pag. 421

Fineſque Bononia, iuris
Ingreditur ſtudioſa, tuos.

Dabit hæc sibi quod admireris, & si subsistere decreuisti, sub S. D. N. Pauli V. vmbra offendes Legatũ purpuræ decus Vaticanæ, qui summam maiorum claritudinem maximis animi dotibus, vel æquat, vel premit, propensum, nec ambiguæ in literatos beneuolentiæ, Ecclesiasticum ordinem pium, Sanctorum Patrum imitatorem, virtutum amantem, Senatum prudentem, vigilantem in commune consulẽtem, literas

non

...ione ficta, sed solida æstimatione penden- qui

Apul. lib. 1. Apolog.

lectos ex omnibus oris
Euehit, & meriti nunquam cunabula quærit,
Et qualis, non vnde satus, sub teste benigno
Viuitur, egregios inuitant præmia mores:
Huic priscæ redeunt artes, despectaq; Musæ
Colla leuant, opibusq; fluens, & pauper eodé
Nititur ad fructum studio.

Claudian. lib. 2. de laud. Stilic.

Nobilitatem eruditè generosam, externorum amicitias bonis artibus affectantem, melioribus conseruantem, Iurisconsultos exteros, claros, & aduenis faciles, professores graues, beneuolos, nec aliorum gloria liuidos, sed ad miraculum vsque eruditione fulgentes; populum ipsum humanum, obuium, officiosum. Suadeo, inquit, me auctore hic sistas, & cum dicto nubes euanuit, & ego Ciuitatem velut Alcinoi hortis circundatam è longinquo vidi, & cernuus adoraui.

Finis.

D. Homobonus Pænit. pro Illustriss. Card. Archiepisc.

Imprimatur

F. Hieronym. Onuphr. pro Reuerendiss. Inquisit. Bonon.

